



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Q. 2. Isque tam in causa propria, quàm aliena?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

376 Ad2. Q. R. cum citt. DD. Navar. Covar. Molina, Bonac. Suarez, Palao, Laym. &c. Si accusatio, vel denuntiatio in causa non propria, sed aliena instituatur, irregularitatem non evitabis, etiamsi protestaris, te criminalem vindictam non intendere, siquidem mortis vel mutilationis supplicium, delicto ita exigente, Judex inflixerit.

Ratio est, quia jus in citt. c. 2. de homicid. speciatim illis succurrere voluit, qui injuriam ad se attinentem in judicio prosequuntur, ut nihil ipsis obesset, etiamsi sic occasionem Judici præbeant, sententiam mortis decernendi; hoc autem indultum in causa aliena jus non concessit, sed de aliis, qui in aliena causa accusationem instituant, jus commune, imponens irregularitatem omnibus cooperatoribus ad mortem, integrum mansit, sicut ex communi docent citt. DD. qui etiam propterea inde inferunt Advocato, & testibus nihil prodesse protestationem, si Judex ex eorum allegationibus ad ferendam mortis sententiam motus fuerit; quia nempe Advocatus & testis non propriam, sed alienam causam prosequuntur. Excipitur tamen casus, quo accusatio, vel denuntiatio alienæ cause instituitur de crimine perniciose in futurum pendente, seu ad praecavendum damnum Reipublicæ, vel alterius privatæ personæ, quod aliâ viâ averti nequit; tunc enim non so-

lum ad cavendum vel avertendum malum proprium, sed etiam alienum Reipublicæ, aut privatæ personæ cuivis sine irregularitatis periculo concessum est, damnificatorem accusare, vel denuntiare, ut tenet communis cum citt. DD. quia eo casu non te liberè immisces causæ sanguinis, sicut se immiscet Judex Officium judicandi assumens, sed lege naturali, vel divina charitatis coactus; non est autem credibile Ecclesiam velle irregularitate afficere actionem jure naturali, vel divino charitatis, debitam: Unde neque tunc opus erit protestatione; cum sit actio sua sponte ab irregularitate exempta, ut cum citatis docet Molina tom. 1. tr. 2. D. 109. & D. citt. n. 9.

Porrò accusatio, aut denuntiatio tunc censetur instituta in causa propria, quando est instituta in detensionem, seu reparationem tui honoris, famæ, vel rerum tuarum temporalium, vel parentum, filiorum, fratum, vel alterius similis consanguinei, item Ecclesiæ tuæ, & domesticorum ita scilicet ut injurya talibus illata per consequens in ipsum etiam conquerentem, seu denuntiantem redundare censeatur, prout notant Covar. & Palao cum aliis citt.

Ad 3. Q. an ab irregularitate in- 377 currenda excusat, qui oretenus quidem protestatur, se non postulare vindictam, seu poenam

Fff 3 fan-